

35715
4. 11.
I. N. I.
DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE

REGIMINE
GRAVIDARUM,
QUAM

DECRETO ET AUTHORITYATE
GRATIOSISSIMI FACULTATIS MEDICÆ COLLEGII,
IN ILLUSTRISSIMA UNIVERSITATE ERFFURTINA,
PRÆSIDE

VIRO AMPLISSIMO, EXCELLENTISSIMO
ATQUE EXPERIENTISSIMO,

DN. ECCARDO
LEICHNERO,

Medicinæ Doctore & Professore Publ. Celeberrimo, Univer-
sitatis Seniore, hodiè Senatûs Asclepiadei Decano Spe-
ciatissimo, Reipublicæ Erffordiensis Physico Or-
dinario longè meritissimo,

Dn. PATRONO, FAVORE & PROMOTORE suo sumè devenerando,

PRO LICENTIA

SUMMOS in ARTE MEDICA HONORES ac PRIVILE-
GIA DOCTORALIA ritè consequendi,
Publico Eruditorum examini exponit

TOBIAS ERNESTUS Beerwindel/

Greussenâ-Thuringus, Patriæ Practicus,

IN AUDITORIO COELICO, Horis pomeridianis consvetis,

Die 8. (18.) Augusti Anno M. DC. LXXVII.

ERFFURTI, Typis KIRSCHIANIS.

Sept. 25

Obstetr.

68,46



ADJUVANTE TRIUNO!
PROOEMIUM.



Tcunque optimum Sanitatis conser-
vandæ medium sit, non satiari cibus & impigrũ
esse ad laborem, fameq; & abstinentiã multi ma-
gni morbi curentur, juxta quidem Hippocr.
omnesq; Medicos: cum primis tamen hæc qua-
drant in hominem, qui, ut Celsus loquitur, be-
nè valet ac suæ spontis est; eoq; sollicitis
Medicorum legibus se obligare, & Medicè
ad eò vivere, haud opus habet, sed utitur suã libertate, & alimen-
tis, quæ commodè se offerunt; juxta observatò diæteticò pro-
verbiò, quod sapit, nutrit. Enimverò, mulieribus gravidis non
pariter id omne congruit, multa enim in his, uti idem Hippocr.
lib. 1. de morb. mul. prudentiã opus est, si feliciter gestare pue-
rum, nutrire & à partu evadere debent. Unde longè alii, tam
in morborum præservatione, quàm horum curatione, regimini
subesse tenentur: dum in utroque eò semper respiciendum sit,
ne foëtus enervetur, terminusq; præmaturæ exclusionis acce-
leretur. Id verò quã ratione obtinendum sit, Inaugurali hæc,
de simplici & plano, paucis annotare aggredior; dum summa
temporis angustia non permittit exquisitius elaborandi studium,
sufficitq; pro Disputatorio isto examine qualescunque Theses
præstò esse. Faxit DEUS, ut in Nominis sui gloriam omnia
feliciter cedant.

CAPUT I.

De

REGIMINE GRAVIDARUM in statu naturali.

§. 1. DUp lex statuitur Regimen Gravidarum, alterum, quod sa-
nis, alterum, quod ægris debetur. Illud, usum legiti-
mum

A 2

num VI. rerum n. n. pro statu salubri conservando, infirmitate-
que præcavenda docet; hoc verò, methodum earundem mor-
bos dignoscendi & curandi præscribit.

§. 2. De priori hoc ipso agimus capite; licet autem dupli-
cis ordinis illud sit: præter nimirum generale, etiam speciale, pro
ratione temperamenti, ætatis, vite generis, anni, temporis, regionis,
vel etiam singulari casu dispariter determinatum; meum tamen
est, hæc vice posteriori hoc sepositò, in priori seu generali sub-
sistere.

Ubi quidem de ambiente nos Aëre primùm constat, gravi-
dis convenire, temperatum & purum, qui si naturâ non sit talis,
arte procuretur: quantum fieri potest, evitatò justò calidiorè,
frigidiorè, humidiorè; evitatis item graveolentibus simul &
svaveolentibus, quò is inquinetur, odoribus & halitibus, eò
quod illi, & in his cum primis, Plinio etiam attestante, extinctæ
candelæ fœtor, spiritus cordiales & animales graviter afficiant,
non sine fœtus noxa; his verò in non paucis gravidis uterus,
ejusque, & universi corporis, humores & spiritus, commovean-
tur. Huc pertinet etiam cautela, ne oculis objiciantur abomi-
nabilia & imaginationem pervertentia, è quibus miræ sæpenu-
merò in fœtum impressiones consequuntur.

§. 3. Alimenta porrò requiruntur *εὐμετά* & *εὐχρῆα*. In-
ter alia commendantur *amygdale dulces* selectioris notæ; quæ qui-
dem tanta perhibentur esse vi fœtum confortandi, ut si frequen-
tiùs assumantur, is nimium hinc accrescat, partusque difficilior
reddatur: commendantur item *passule*, cum *cydonis* & sub ge-
stationis finem *ficus asse*. Ex adverso fugienda sunt quæque
excedentibus qualitatibus prædita, ut nimium *amara*, *falsa*, *a-
cria*, in quibus excedentia *aromata*, etiam *crocus*, cum validè a-
perientibus, adhæc *acida*, ceu *utero*, generi nervoso & tenello
hinc fœtui nociva; omnia denique, quæ ad sanguinis fermenta-
tionem & flatulentiam, diarrhœam denique disponunt.

Potus, in nostris quidem regionibus, sit *cerevisia* probè de-
fœcata, vini verò usus moderatior; quippe quod, in minùs præ-
cipuè asvetis, ad abortum, fœtumque ad epilepsiam, dispo-
nere potest.

§. 4.

§. 4. *Motus corporis vehemens & immoderatio*, anterioribus præsertim mensibus, nocet, imprimis qui fit cum valida corporis erectione in sublime: adhæc impetuosa saltatio, curculis concussio, cum id genus aliis. Postremis vero mensibus vividior nonnihil motus, pro facilitando partu, concedendus est.

§. 5. *Veneris*, primis saltem mensibus, usum Authores non abs re interdiciunt: ob uteri intempestivam commotionem, morlæ item & superfœtationis metum; postremis vero mensibus rem nonnihil aliter habere constat.

§. 6. *Quantum ad Pathemata*; animus quoad fieri potest, sit sedatus & quietus, evitatis vehementibus quibusque affectibus, imprimis autem terrore & iracunda excandescentiâ: eò quod hæc ipsa sanguis cum universis humoribus effervescat, uterusque irriteretur, non sine fœtus læsione; illò autem (terrore scil.) natura omnis & hinc uterus plurimum turbetur, fœtus etiam, ubi vitiosis corpus humoribus scatet, haud minùs graviter afficiatur.

§. 7. *Somno potius & quiete*, quàm vigiliis & laboribus nimis opera danda.

§. 8. *Quantum ad excreta & retenta*: alvus & vesica quotidie suum faciunt officium, nec aliæ consuetæ evacuationes deficiant, præterquam menses. A multùm laxantibus, per superioris dicta, cavendum.

CAPUT II.

De

REGIMINE GRAVIDARUM in statu p. n.

§. 1. **U**lterior quæstio est de regimine gravidis ægrotantibus, pristinaque sanitati restituendis, debito: quod quidem pro morbi exigentiâ præstandum, sic tamen, ut gestati fœtus peculiaris juxta habeatur ratio: cum primis quantum ad generosiora pharmaceutica & chirurgica præsidia; quatenus quidem hæc vires imminuunt, vel sanguinem & humores movent, ex quo cautiùs & non sine probè pensitatis circumstantiis in usum vocanda. Sed & alterantia non nisi moderata conveniunt.

A 3

§. 2.

§. 2. Imprimis autem de *V.S.* cum dilectum naturæ fœtum, sanguinem, minuatur, hinc vires deprædetur & fœtum genio suo defraudare possit, haud immerito quaeritur, an & quando gravidis conveniat? Rectè autem respondetur per distinctionem inter plethoricas, & non-plethoricas, interque diversum gestationis tempus. Plethoricis enim haud raro, citra etiam morbi exigentiam, non sine fœtus juvamine, convenire *V.S.* potest: quanto magis autem, dum ista urget; mediis præsertim mensibus, perinde ut *purgatio*: juxta *4. Aph. 1.* quanquam & hic non pro morbi solum ratione, sed plethoræ etiam & virium intuitu, quovis tempore Venæ sectio conducatur.

§. 3. *Vomitoria*, minus etiam fortia, mediis & ultimis mensibus haud adeo conveniunt: periculum enim est, ne ex continua fortiori que musculorum abdominis compressione, fœtus de claustris suis foras ejiciatur; primis verò mensibus tutius eadem, duce præsertim naturâ, adhibentur.

§. 4. *Purgantia validiora*, cum totius corporis humores commoveant, motuque irritativo omnia perturbent, adhæc intestina ad excretionem fortiter stimulent, non possunt non simul uterum irritare, ut hinc ad fœtum extrudendum simul insurgat; in gravidis utique caveri debent. *Mitiora verò & lenitiva*, quorum vis ultra primas vias se vix extendit, quæque naturam non tam pellunt, quam ducunt, tuto gravidis, pro dato casu, exhiberi possunt. Vitentur tamen *alaëtica*, ceu *mentes moventia*, & *sennata*, ceu *tormina* (nisi tartareo additamento condiantur) excitantia. Non conducunt porro *manna* & *castia*, quia facile fermentescunt, hincque tormina & passiones hystericas excitant. De cætero facile mihi probatur methodus tractandi prægnantes *D. Ludovici Pharm. p. 192.* ubi poterit videri.

§. 5. *Clysmatum* usus prægnantibus vix tutus est, nisi exigente necessitate admodum blanda illa sint, merisque abstergentibus & emollientibus content, quandoquidem acria & stimulantia sane pejus & angve vitanda.

§. 6. His remediis universalibus an adjungi etiam possint *opiata*, multorum morborum si non curativa, insignia certè mitigativa remedia, quaeritur. Sine dubio autem in casu necessitatis

tatis

catas & hæc, modò ritè præparata sint, specificisque in exigua
dosi juncta, viribusque adhuc fortibus, in usum trahi possunt.
Integrâ verò dosi opiatorum usus prægnantibus vix unquam
convenit: summè enim noxia est vis opii tenello fœtui, partim
quia spiritus animales quasi destruit, partim quia hinc debilitatur
uterus, non sine abortûs periculo. Prædictus porrò moderatus u-
sus urgente necessitate, in fluxionibus catharralibus, tussi ferina,
vigiliis nimis, unde matri & fœtui periculum imminet, omninò
svadendus est: pertinent huc *pilula de styrace sive laudanum pe-
torale*, Schröd. Pharm. l. 2. c. 73.

CAPUT III.

De

SYMPTOMATUM, quæ GRAVIDIS accidunt, CURA.

§. 1. **N**on pauca gravidas affligunt symptomata, è suppressio
menstruo sanguine, cacochymicas potissimum: quatenus
nempe is collectior circa uterum, ab admistis ferè vitiosis hu-
moribus, qui alias coëffunduntur, diversimodè corrumpitur,
& partem aliquam reliquæ sanguinis massæ commistus, eandem
inquinat & p. n. afficit: unde serum sive lymphæ, cum reliquis
fuscis in corpore pariter depravatur, & prædicta symptomata
suboriuntur.

§. 2. In his agmen ducunt, quæ gravidis primis mensibus
molesta esse solent: utpotè **VOMITUS** primùm & **NAU-
SEA**: nonnullis citius, aliis tardius (circa secundum demùm
mensem) accidentes; quasdam verò ad partum usque comi-
tantes. Priori casu nullâ ferè opus est medicatione, sed naturæ
negotium committitur, non neglectâ interim conveniente vi-
tûs ratione: Posteriori autem afflicta naturæ subveniendum,
præmissis, ubi opus est, idoneis evacuantibus, stomachicis, mo-
dicè adstringentibus: cujusmodi sunt, *maslichina, cydoniata, nu-
cista; tinct. vitriol. mart. liquor terr. sol. tart. corall. preparat ocul.
cancr. &c.* Externè convenit *Empl. stomach. de crust. pan. cum
gum. ladan. vel tacamahac.* Si ex nimio vomitu passio hysteri-
ca excitetur, prodest *emplastr. matric. ex galban. nalux. c. s. q.
bals. peruv. admistis adstringentibus.*

§. 3.

§. 3. **TORMINA** deinde gravidarum, à flatibus & pituita viscida & subacri, in intestinis suborta, dissipantur *carminativis externis & internis*, admistis præcipitantibus, itemque posteriori cumprimis casu, incidentibus & abstergentibus. *Carminativa externa* sint *sacculi & cataph.* è *flor. chamom. seminib. cal. maj. cort. citr.* & *arant. cum id genus aliis.* *Interna eadem semina cum vin. itemque syr. cort. arant. citr. aqv. vit. mulier. carminat. Dorncreiß. &c.*

§. 4. **DIARRHOEÆ** gravidarum, si sint *simplices & moderate*, sine imbecillitate viriumque dejectione, non statim sistendæ sunt; prospiciendum tamen ventriculo uteroque. Ubi *nimie* verò, aut simul *cruentæ*, cum virium & appetitûs prostratione, imprimis ubi malum est *epidemicum & malignum*, citò, ne abortus sequatur, sistendæ. Quò iterùm faciunt *masticbina, cydoniata, & cervina*, *impr. gelat. C. C. syrup. corall. rubr. tinctur. corall. &c.* Exteriùs denuò, *Empl. stomach. cum similibus.*

§. 5. **PICA**, ubi gravidam infestat, præmissò leni vomitorio, mitigatur *succò expressò*, vel *aquâ destillatâ mens.* *Maj. è pampinis vitis*, itemque *aqv.* & *essent. cort. aurant.* Conducit quoque *sal earund.* & *cynam. cum syrup. decoct. citr. & aurant.*

§. 6. In ciborum fastidio convenit denuò *spirit. masticb. & vitriol. mart.* aliaque blandè *acida*, v. g. *cappar. cum aceto.*

§. 7. **PALPITATIO** **CORDIS**, præmissis sanguinem, prout opus videtur, ventilantibus, perque diaphoresin emendantibus tollitur, vel mitigatur certè, *aqv. cord. Herc. Saxon. Typhor. C. C. meliss. tinct. corall. cum spir. cord. cerv. & cordialibus aliis.*

§. 8. **TUSSIS** sæpius gravidas multùm, noctu præsertim, affligit; eaque vel *sicca*, à vaporibus, vel sero acri, laringem vellicante, vel *humida*, ut plurimum vitio stomachi cruditatibus repleti contingens. *Ibi* conveniunt *attemperantia*, *lenientia* ac *incrassantia* & *quoadantenus opiata*, vesperi imprimis, *bihoriò* ante cœnam, vel sub ingressum lecti propinanda. *Faciunt etiam huc pil. de styrac. cap. preced. commendatæ.* *Humida* verò *tussis* curatur insuper, quoad licet, *leniori vomitorio*, vel per alvum *evacuante*, additis *incidentibus & stomachicis.*

§. 9.

§. 9. HÆMORRHAGIÆ gravidarum sunt vel *uterine*, vel *aliarum partium*; nunc *vagæ*, nunc *periodicæ*. *Periodicæ* seu ex utero, seu ex aliis proveniant partibus, si veluti criticè cum patientis euphoria eveniant, naturæ negotium committitur, cum custodia tamen diætetica. *Vagæ* verò plus important periculi, eaque si *aliarum partium* sint, in *cacochymicis* & *scorbüticis*, cum vel sine venæsectione, martialibus aliisque specificè alterantibus & præcipitantibus, sistendæ. Sin verò ex utero, mediis, vel ultimis mensibus accidant, semper pessimæ notæ sunt; ceu patet. Summo igitur studio sanguis vitiosus corrigendus & coërcendus, per martialia & superius laudata alia modicè adstringentia, cætera etiam causæ uterum irritantes sopiendæ: inter alia laudatur *Tinctur. sulph. vitriol.* & quæ è coralliis confiunt &c.

§. 10. URINÆ SUPPRESSIO gravidis ultimis mensibus superveniens, ex fœtu grandiore factio, mole suâ collum vesicæ premente; inde enim non nisi summò nisu ea redditur. Quo quidem casu præcipiendum, ut ægra supina jaceat, foveaturque regio vesicæ sacculis, fomentis & cataplasmatibus, vel balneo è *parietar. rad. petroselin. alth. malv. sem. lin.* &c.

§. 11. Accidit & quandoque PRÆMATURUS AQUÆ EFFLUXUS, cum vel sine noxa. Sine noxa fit, quando in serosioribus aqua copiosa intra amnion & chorium contenta effluit, restitante adhuc sufficiente quantitate, pro facilitando partu &c. Cum noxa contingit, ubi simul adsunt dolores lancinantes, ex quo abortus, vel fœtus debilitas, aut partus difficilis contingit. Quo quidem posteriori casu, præmissis convenientibus fomentis, conveniunt inunctiones *ol. amygd. lil. alb.* & simil.

§. 12. ALVI TARDITAS & constipatio curatur per laxantia, cum primis passulata, cum crem. tartar. aut pulp. tamarind. ad unc. i. cum pauxill. rhabar. &c.

§. 13. TUMOR CRURUM, qui gravidis serosioribus ferè accidit, curatur foment. *lixiv. calc. viv. cui incoqu. origan.*

B

origan.

origan. chamom. rut. salv. adm. alum. crud. ad drachm. i. acet.
unc. i.

Quò eodem remediò etiam Tumor serofus partium ge-
nitalium, qui partum redderet difficilem, maturè poterit re-
moveri.

§. 14. FISSURÆ ABDOMINIS, in junioribus sub-
venientes, curantur pingv. crur. vitul. Ungv. pom. pelle canin.
ol. amygd. d. illita, & abdomini imposita.

CAPUT IV.

Quod subjicit MANTISSAM

De

FŒTUS DEBILITATE.

§. 1. FŒtum esse debilem cognoscimus, si mammæ collaba-
scant, ita ut lac stillent, si menses tempore gestationis
præter rem fluant, si prægnans laboret alvi profluvio, vel a-
liàs multùm ægrotet, si tandem tempore legitimo fœtus defi-
ciat motus.

§. 2. Hoc omni in casu opus est confortantibus; & in-
ternè quidem conveniunt solut. corall. perlar. matr. perlar. ebur.
philos. calc. os de cord. C. conf. alkerm. incompl. c. spirituosus ara-
matic. ut, aq. vit. mulier. Bals. embryon. aqv. cinam. borrag. cy-
don. cum nucist. adhæc vina aromatica, moderatè tamen usurpa-
ta, & denuò umygd. d. rec. cum passul.

§. 3. Externe conveniunt eadem illa spirituosæ cum pane
tost., aut mellito aspers. pulv. caryophyll. & nuc. moschat. inferiori
ventri apposita.

Tantum.

UNI VERO ET ÆTERNO ARCHIATRO
sit GLORIA COÆTERNA.

CO

COROLLARIA.

I.

Fœtum è semine prolifico, quantum ad prima
stamina, formari, è primis est specialis Physicæ
principiis.

II.

Fœtum in utero vivere vitâ matris, negari ne-
quit.

III.

Idem à materno sangvine nutrimentum & au-
gmentum capit.

IV.

Menstruus mulierum sangvis ordinariè ob de-
ficiens generationis opus, atque sic per accidens,
evacuatur.

V.

Generatio viviparorum ex ovo est commentum
Naturæ veritati adversissimum.

VI.

Nutritio fœtûs ex ambiente liquamine per os
imbibito itidem meri est commentum.

B 2

VII.

VII.

Suffocatio uterina à parte primò affecta jure nomen habet, nec levi errore à nonnullis ad hypochondriacam refertur affectionem.

VIII.

Fieri potest, ut Venæsectio in cubito menses suppressos promoveat, in pede verò eosdem usque detineat.

